

sic et multa alia signa faciunt isti quæ magnam significationem dicunt importare.¹ Deinde sunt officiales multi inquirentes et videntes cunctos barones et hystriones, ne aliquis illorum deficiat. Nam si aliquis ibi deficeret, magnam incurreret pœnam cum autem occurrit punctum et hora istorum hystrionum. Tunc philosophi dicunt facite festum domino. Tunc statim omnes incipiunt pulsare omnia instrumenta sua, et tantus est ille cantus et clamor quod est quasi stupor unus. Deinde vox una clamat dicens, Taceant omnes et sileant! Sic statim omnes tacebunt.² Post hæc statim illi de parentela sunt parati cum equis albis. Exinde vox una clamabit dicens, talis de tali parentela, tot centenaria paret equorum domino suo! Ibiq̄ statim aliqui sunt parati, ducentes illos equos per ante domum suam,³ ita quod quoddam incredibile est de tot equis albis qui illi domino exenniantur. Deinde sunt barones exennia⁴ portantes ex parte aliorum baronum, omnes etiam de monasteriis principales ad ipsum accedunt cum exenniis et suam benedictionem sibi tenentur dare; hoc idem facere nos omnes.⁵ Hoc facto et ordinato, tunc aliqui hystriones ad ipsum accedunt, et etiam aliquæ hystrionatrices ante ipsum tam dulciter cantant quod quædam magna jocunditas est audire. Deinde hystriones faciunt venire leones qui reverentiam faciunt ipsi imperatori. Deinde hystriones vehi faciunt ciphos aureos per aerem plenos bono vino et ad ora omnium volentium bibere de isto vino porrigunt istos cyphos. Sic hæc et multa alia coram isto domino fiunt. Dicere autem et referre magnitudinem istius domini et illa quæ in curia sua fiunt esset incredibile quoddam nisi ista oculis viderentur. De hoc tamen quod multas expensas facit nemo mirari debet, cum nichil aliud pro moneta expendatur in toto suo regno quam quædam cartæ⁶ quæ pro monetâ reputantur ibi, et infinitus thesaurus ad suas recurrit manus.⁷

43. *De pepone in quo invenitur bestiola ad modum agni.*

Aliud insuper mirabile valde dici potest, quod tamen non vidi sed illud a personis fide dignis audivi. Nam dicitur quod Caoli⁸ est unum regnum magnum in quo sunt montes qui montes Caspei vocantur.⁹ Unde in eis ut dicitur nascuntur pepones¹⁰ valde magni qui quando sunt maturi ipsi aperiuntur et invenitur una bestiola ad modum unius agni parvi unde ipsi illos pepones habent et illas carniculas quæ sunt ibi.¹¹ Et quamquam

¹ *Hak.* et *Mus.* quæ scribere nolui quia vana sunt et risu digna.

² *Ven.* omits this last sentence; and *Hak.* alone adds: Tunc accedunt hystrionices ante dominum dulciter modulantes quod mihi plus placuit.

³ So in *Ven.* with dicentes for ducentes; *Ut.* has dicentes illos equos parasse domino suo.

⁴ Exennia=Xenia.

⁵ *Ven., Mus.* nos fratres minores facere oportet. *The omnes in the text is probably miscopied for oportet.*

⁶ *Far.* cartæ confectæ corticibus morariorum, quæ, etc.

⁷ *Far.* unde sicut dixi ve (for v) cartæ quæ constituunt unum balis, ballis unum florenum cum dimidio.

⁸ *Far.* adds: Cum autem moritur iste Canis omnes Tartari adorant ipsum pro deo.

⁹ *Ven.* Cadeli; *Ut.* Cadellis; *Far.* et *Marc.* Caoli; *Mus.* Kaloy.

¹⁰ *Ven.* melones.

¹¹ *Hak.* in uno regno istius Canis in quo sunt montes Kapsei et dicitur illud regnum Kalor.

¹² *Far.* has et illac carunculæ pro nobilissimo ferculo reputantur.